

decim unumque quinionem. epistularum contextus incipit a decimo sexto versu folii 5^v, desinit sine subscriptione in f. 124^r. salutationis formula non reperitur nisi ante primam epistulam et ante sexagesimam nonam. et huic quidem superscriptum est SENECA· LVCILIO filio suo Salutē. subscribitur plerumque VALE. quod autem sciri quam maxime interest, qui epistulas inde a quinquagesima tertia exaravit, non idem est librarius qui scripsit priores, quamquam qui alteram partem addidit, correctoris quidem munere functus est etiam in priore. vel hinc suspiceris licet quinquaginta duas priores epistulas in **M** diversae originis esse atque insequentes. scimus vero aliquando non nisi quinque libros, id est quinquaginta duas priores epistulas propagari solitas esse, cuius consuetudinis testis adferri potest non modo **V**, quippe qui a quinquagesima tertia demum epistula initium capiat, sed etiam Amplonianus Erfurtensis (cf. Schum *Besch.* *verzeichniss der Amplon. handschr.* Berol. 1887 p. 287), Bambergensis (cf. O. Rossbach l. c. p. 55), Trossii liber (cf. Fickert v. I praef. p. XXIII), alii qui quinquagesima altera finiuntur. seorsum igitur de duabus libri Metensis partibus, non ut Woltersio visum est coniunctim iudicandum esse ipso tradendi more commonstratur. atque posteriorem quidem libri sui partem non dubito quin aliter aestimaturus fuerit vir doctus, si tunc alterum eiusdem cum **M** propaginis librum cognitum habuisset et vetustiore*m* illo et praestantior*e*m, dico Venetum. communis autem utrique origo lacunis glossematis traiectionibus aliisque corruptelis tam manifesta est, ut congruentiae exempla adscripsisse satis sit haec: ep. 66, 1 *nobis om.* **VM**, ib. *ad contemptum* **VM** ubi paulo rectius *ad* (debit *a*) *contemptu* **p**, ib. 3 *animos fecisset* **p** *fecisset animos* **V** primo, **M**, ib. 26 *sanum filium* **p** *filium sanum* **VM**. 67, 10 v. *ceterum illic est fortitudo cuius patientia* quae suo loco omittunt **VM**, uterque supplet post verba *tristis uoltus bona* in tmemate undecimo, et quidem **V** *caeterum illic est fortitudo* ∴ *cuius patientia*, **M** *ceterum*
^s
illic e fortitudo cuius patientia. 68, 9 *malo illa cum disces-*